

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XIII. Qualiter eam deus vocavit.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

CAPUT XIII.

QUALITER EAM DEUS VOCAVIT.

DOMINICA quadam, cum propter infirmitatem non posset communicare, et ex hoc non modicum tristaretur, dixit ad Dominum: « Mi Domine, quid me nunc vis facere? » Qui respondit: « Veni, veni, veni. » At illa non intellexit quid per hoc notaretur. Cui Dominus: « Veni, inquit, corde ad cor per amorem; veni ore ad os per osculum; veni spiritu ad spiritum per unionem. » Illa vero cogitare cœpit quid esset spiritu ad spiritum venire; et Dominus: « Quisquis omni voluntati suæ renuntiaverit, et omnibus tam adversis quam prosperis voluntatem meam voluntati suæ præelegerit, hic spiritu ad spiritum per unionem venit, et in eo complebitur quod scriptum est: *Adhærens Deo unus spiritus fit cum eo.* (I. Cor. vi. 17.)

Qui voluntatem Dei suæ præfert cum ipso unus spiritus est.

Tunc illa rogabat Dominum pro quodam gravamine quod timebat claustrum evenire, quatenus hoc per suam clementiam dignaretur amovere. Cui Dominus respondit: « Tu es gaudium meum, et ego tuum, et quandiu vixeris et delectamentum cordis mei in te habuero, talia nunquam supervenient claustrum. » Et anima: « Eia amantissime, cur ita mihi loqueris, cum nil bonum sit in me? » Qui respondit: « Mel si acetum misceatur, suam perdet suavitatem; dulcedo autem mea nunquam miscebitur ut suam amittat suavitatem. »

Attendite, dilectissimi, quam valeat oratio justis assidua, quantam Dominus per suos dilectores hominibus impen-

De Mechtild
de nuper
amissa
amentatio.

dat gratiam. Vere nimis honorificandi sunt amici tui, Deus, nimis studiose perquirendi, nimis amandi et reverendi; qui et iram tuam nobis toties mitigant, insuper multis bonis nos cumulant. *Quis dabit capiti nostro aquas, et oculis nostris fontem lacrymarum* (JER. IX. I.) ut digne defleamus, cum talem interventricem amiserimus, cujus amore toties nobis pepercit omnipotens Deus; cujus orationis fructum toties efficaciter in nobis experti sumus? Ipsa etiam flagrans igne divini amoris, velut carbō igneus alios accendebat, et exemplo suo ad amandum Deum plurimos incitabat. Heu! ubi talem reperiemus, cum ipsa introierit potentias Domini, cum introducta fuerit in thalamum Regis summi, pausatura sub umbra Dilecti sui?

CAPUT XIV.

QUALITER ABBATISSA ELIGATUR.

FACTUM est cum senisset Abbatissa cœnobii¹, homo vere secundum cor Dei, pia hæc et fidelis virgo orabat Deum quatenus aliam sibi placitam monasterio provideret. Et ait Dominus: « Illa die cum Abbatissam vultis eligere, facite cantare Missam de Spiritu Sancto, et tota Congregatio in oratione sit, nulla excepta, orentque Deum ut ipse, qui omnia novit antequam fiant, illam eis inspiret eligendam, quam ipse ad hoc ordinaverit ab æterno. Una autem sapiens et

1. De abbatissa Sophia juniore hic agitur, filia Burchardi II. de Mansfeld, quæ propter gravem infirmitatem et senium officio se abdicare voluit, et circa annum 1303 decessit.